

PRÆDICATIO GOLJÆ AD TERROREM OMNIUM.

[Flacius, p. 156.]

TEMPUS acceptabile, tempus est salutis,
 tempus est discutere jugum servitutis ;
 accingamur igitur gladio virtutis,
 resistentes fortiter hostibus hirsutis.
Quasi leo rugiens hostis investigat,
 quærit quos decipiat, et deceptos ligat :
 variis contagiis animas fatigat,
 ut æternis morsibus miseras affligat.
Graviter offendimus Regem majestatis,
 sed nos indulgentia summæ Trinitatis, 10
 suam nobis gratiam conferendo gratis,
 sanet a langoribus, mundet a peccatis.
Carnis pestilentie restringamus ora :
 si jam bona facta sunt, fiant meliora ;
 eligamus citius et honestiora ;
 nam nos ad periculum trahit ista mora.
Et ne forte cogites, “ vivam decem annis,
 tunc me vilioribus castigabo pannis :
 tunc induar vestibus Pauli vel Joannis :”
 sic expectat rusticus, dum defluat annis. 20
Res infelicissimas cur non confiteris ?
 dic tuas malitias, ut justificeris :
 steriles inducias et inanes quæris,
 expectans decennium, forte cras non eris.
Quisquis ergo pœnites, lachrymis abunda,

I have not been able to meet with a *Prælatos*.
 MS. copy of this poem. It is printed
 by Flacius Illyricus and Wolf. Bale
 gives as the title, *Sermo ad impios*
 l. 20. Horat. Epist. lib. I. ep. ii. 42.
 Rusticus expectat dum defluat annis.

ore, corde, corpore tua facta munda.
 Istos David lapides posuit in funda,
 hæc est post naufragium tabula secunda.
Quid dicturi miseri sumus ante thronum,
 ante tantum judicem, ante summum bonum ? 30
 tunc non erit aliquis locus hic præconum,
 cum nostrarum præmia reddet actionum.
Cum perventum fuerit ad examen veri,
 ante thronum stabimus judicis severi,
 non erit distinctio laici vel cleri,
 nulla nos exceptio poterit tueri.
Hic non erit licitum quicquam allegare,
 neque jus rejicere, neque replicare,
 nec ad apostolicam sedem appellare :
 reus tunc damnabitur, nec dicetur quare. 40
Cogitate, divites, qui vel quales estis,
 quid in hoc judicio facere potestis :
 tunc non erit aliquis locus hic digestis,
 idem erit Deus hic judex, autor, testis.
Judicabit judices judex generalis,
 nihil ibi proderit dignitas regalis :
 sed foetorem sentiet pœnæ gehennalis,
 sive sit episcopus, sive cardinalis.
Nihil ibi dabitur bullæ vel scriptori,
 nihil camerario, nihil janitori : 50
 sed dabuntur præsules pessimo tortori,
 quibus erit vivere sine fine mori.
Apud nostros judices jura subvertuntur,
 et qui legem faciunt, lege non utuntur.
 Sed attendant miseri mala quæ sequuntur :
 hi qui damnant alios, primo damnabuntur.
Vobis ergo præcipit Conditor cœlorum,
 ut vos sitis quilibet socii justorum,

ut columbæ simplices ad exempla morum,
si consortes fieri vultis angelorum. 60

Vos, ut ait Dominus, lumbos accingatis,
quod est proculdubio signum castitatis :
hanc lucernam manibus vestris sufferatis,
ut exemplum populo bonum præbeatis.

Vos qui vultis populo Domini prodesse,
et qui vultis Domini populo præesse,
cujus vitam agere decet indefesse,
pios, largos, humiles, dignos interesse.

Viri venerabiles, servientes aræ,
vobis mandat Dominus plebem castigare, 70
in fervore, moribus, et spe radicare,
ut et vos cum populo possit luminare.

Sacerdoti convenit legem sacram scire,
plebem vita, moribus, verbis erudire,
ut cum tandem venerit illa dies iræ,
piam vocem Domini possint hanc audire :

Benedicti filii, regnum possidete,
quod vobis paratum est sine meta metæ,
sacri vos presbyteri, sicut et prophetæ,
benedicti filii mecum congaudete. 80

DISCIPULUS GOLIÆ EPISCOPI DE GRISIS MONACHIS.

[MS. Cotton. Vespas. A. xrx. fol. 56, r^o.]

SOMPNO et silentio plusquam satis usa,
a torporis otio surge, mea musa ;
scribe sub compendio, et non sis profusa,
nam in multiloquio culpa est inclusa.

Ornat orbem inclitus ordo monachorum,
qui lapsus divinitus a summo cœlorum